



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Os Et Dentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

mores dentes non nihil exprobratae proponebant. Sed si absolutam gustus plenitudinem ostendere curassent, primores gutturis partes quae intimae adhaerent linguae, figurabant. Asserebant enim illi, quod Medici nostri etiam nonnulli prodiderunt, perfectum gustum in linguae radice consistere: inde enim nervos quosdam, & sentiendi vim illam provenire. Neque tamen sumignarus, esse multos, qui gustatus praerogativam attribuunt palato. Sane Diogenes explorari saporem aiebant, propter fungositatem molliemque linguae, perque commissas illi corporis venas, perfundi sapores ad sensum elicitos, non aliter atque spongia exuctos. Huiusmodi vero sensum in anima sedem suam possuisse. Quamvis vero dicat Alcmaeon, humore teporeque, atque adeo mollietate linguae sapores internosci, Aegyptii nequaquam cognoscendi saporis instrumentum solam linguam esse consenserunt, sed cum multis aliis, palatum praecipue participem agnovere, & in nonnullis, quae gutture caetera, simile quidpiam linguae esse: ut in quodam piscium genere qui ventrem habent ori propinquum, inesse intus sentiendi facultatem. Sunt & alii rerum naturalium scriptores, qui linguam ajunt sapores quidem sentire & judicare, eorum vero suavitatem amaritudinemque in descensu, unde deglutiantur explorato sentiri. Quare & Philoxenus magis forte quam Philosophia, ganeae peritus, Gruis gulam optabat, ut voluptas illa longius deglutendo produceretur. Quantum vero ad palatum pertinet, scimus Catonem gustus sedem in eo esse credidisse. Nam cum Lurconi cuidam ambienti, ut inter eius familiares reciperetur, negare vellet, ei dixit, non posse se cum eo vivere, qui plus palato quam corde saperet. Adversus tamen Aegyptiorum, & horum omnium opinionem insurgit Aristoteles, qui linguam in primore sui parte vim perfectius sentiendi saporem obtineri contendit. nam interiore si tangat, minus illam sentire, quod in catapotis ex aloë, vel amariore aliquo succo passillove devorandis, manifestius experimur. Nam cum illa intra duorum digitorum summitatem contenta in imas fauces immiserimus, vix tantillum sentimus amaritudinis quae si quis lingua vel summa lambat, vix ferre possit. Videtur vero natura ipsa, uti recte reliqua, ita hoc sapientissimè constituisse, ut hac sentiendi vis juxta labia, & in prima consisteret lingua, quo sapores omnes admittendos exigendosque, antequam ori demandarentur, exploraremus. Quod vero quispiam dicat eo vehementiorem esse saporis gustatum, quo magis cibus ingestus ori opulentius & contantius mandatur, respondent periti homines non ideo majorem gustandi vim in radice linguae instam esse, sed propter diuturniorem moram, & affluentem saporis copiam, vehementius sentiri. Hac atque alia multa praesens Philosophi inter se dissidentes prodere, ut minimè mirum sit eos de rerum principiis & aliis a sensu remotis dissentire, si re super omnibus tam explorata diversi abeunt, nec certi quicquam constitutere potuerunt.

Meminit  
Aristot. in  
Ethicis.

Aristotelis  
de gustu  
opinio.

#### DE ORE ET DENTIBUS. CAP. XLV.

Hoc ab Ar-  
temidoro  
lib. 1. c. 33.

Sedem ut jam ad totius oris fabricam convertamus, Aristandri Telmesii sententia est, os & ejus partes esse quasi hieroglyphicum quoddam domus, dentes cum primis incolas ostendere. Hoc vero dupliciter accipi: aut enim domesticos esse, aut alienigenas. Itaque superiores dentes domesticorum incolarum signa esse: propterea quod pars illa superior toti fere capiti a deglutinata est, atque cognata. Inferiores vero, alienos ideo demonstrare, quod maxilla ea, quae illos sustinet, tota fit mobilis, atque ita adventitium nescio quid praese ferre videatur.

#### DE TRIMENTUM. CAP. XLVI.

Artemid.  
ibidem.  
Perfius.  
in impu-  
dentes pro-  
verbium.

Sunt autem qui detrimentum per dentes putent significari, in iis quae in sermone vel voce consistunt, eisque famam dilacerari obtruncantium calumniis obiectant. Nam & Poetae Oratoresque omnes hic mordere, carpere, rodereque; metaphoricè dixerunt, quoties cujusquam nomen scurriliter traductum aut hostiliter infamatum innuere volunt. Sed quod planos tantum in huiusmodi significatum Conjectores ponunt, Satyrici nostri ad acriorem vim amplificandam genuinum adhibere, & alii caninos enim immiscuerunt.

VERE.